INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLIII A DIE IV APRILIS

INSTITUENDARUM.

INEST DR. MAX. TRUETSCHELII DE SOPHOCLIS POËTAE IN DEOS PIETATE DISPUTATIUNCULA.
PARTICULA PRIOR.

Brunsbergae,
impressit C. A. Heyne.

LYCEI REGII HOSIANI PRORECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROFESSOR PUBL. ORDIN. ET NONNULLARUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALIS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

PRORECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Etsi multis in rebus nulla tamen in re vehementius erraverunt philologi interpretesque antiquitatis quam in interpretandis illis carminibus, quibus tota poësis nihil habet elegantius, nihil gravius et sublimius; carmina dicimus tragica eaque graeca. Prae graeca enim tragoedia latina nulla est.

Errant autem philologi plerique in eo, quod quum tragoedia graeca nata sit totaque apta ex religione et cultu Deorum, nihil in ea fieri volunt divinitus sed omnia humanitus. Sic enim dictitant idque pugnant, „Hellenismum“ esse purum putum „Humanismum,“ nullo imbutum „Mysticismo.“

Quod quum defendunt, donant Graecos humanitate, qua nihil est inhumanius et *μύσταις* a Graecis alienius. Ipsi enim Graeci et poëtae et philosophi dicunt, hominis non belluae esse, credere Deos, quorum numine mundus gubernetur. Sed nunc quidem poëtis non philosophis [1]) utemur testibus.

Est autem unus instar millium ille poëta, qui et veterum et recentiorum interpretum judicio scripsit non solum elegantissime verum etiam cogitatissime atque intelligenter non gloriose dixit, scire se, quod nesciat rivalis suus, cur et qua quidque dicat ratione. Sophocles enim poëta tam pie et religiose septem illas, quae supersunt, scripsit tragoedias, ut non satis mirari possimus, esse interpretes et ingenio et doctrina praestantes, qui in alia omnia transierint. Neque enim stulte et superstitiose sed sapienter et religiose sicuti Plato philosophus a philosophia sic Sophocles

---

[1]) *Τίνος γὰρ ἄλλου ζώου ψυχὴ πρῶτα μὲν θεῶν τῶν τὰ μέγιστα καὶ κάλλιστα συνταξάντων ᾔσθηται ὅτι εἰσί; τί δὲ φῦλον ἄλλο ἢ οἱ ἄνθρωποι θεοὺς θεραπεύουσι;* — Xenoph. Memorab. Socrat. I, 4, 13. — *Διὰ τί ἀνθρώπῳ πειστέον μᾶλλον ἢ ἄλλῳ ζώῳ — ἢ ὅτι θεοὺς νομίζει μόνος;* —. Aristot. Probl. sect. XXX, 6. adde metaph. p. 8. ed. Brand. *ὅ τε γὰρ θεὸς δοκεῖ τῶν αἰτίων πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις.* Atque hoc quidem Mysticismo imbuta et infecta est philosophia Aristotelis, ut illa non solum *φυσικὴ* et *μαθηματικὴ* sed etiam *θεολογικὴ* sit. Correxit non sustulit Aristoteles philosophus „*τὴν πάτριον δόξαν, ὅτι θεοί τέ εἰσιν αἱ πρῶται οὐσίαι καὶ περιέχει τὸ θεῖον τὴν ὅλην φύσιν.*“ Pro pluribus mythologiae Diis non divinis unum philosophiae docuit esse Deum divinum, „*τὸν Νοῦν,*“ „*τὴν οὐσίαν κεχωρισμένην*“ hoc est, puram atque integram Mentem solutam a materia et omni concretione. Vide quem longum est exscribere locum sapientiae plenissimum metaph. p. 254 simul cum 247 sqq. et 254 sqq. paginis.

tragoedus a tragoedia cum coeco illo, cui Dii pariter atque homines parent, Fato, procul arcuit Deulos istos Herodoteos, qui quidem sic omni divinitate carent, ut nisi parvulos dominentur in „Mortales“ ipsi non magni sibi videantur „Immortales“[2]). Dii quidem Sophoclei tantum abest ut invido vultu beatos videant homines faciantque miseros, ut velint universos faciant quos liceat beatos. Amant enim bonos, oderunt malos tantaque eos persequuntur cum severitate non saevitia, ut factorum impie et scelestc usque a filiis et nepotum nepotibus expetant poenas. Quae si cui non justitia sed summa videtur injustitia: Graecis [3]) non magis visa est quam Judaeis et Christianis.

Multo etiam minus Dii Sophoclei tum injustitiae accusandi sunt, quum tam praesenter et potenter mundi tenent gubernaculum, ut ad exsequenda divina sua humanis sapientiora consilia hominibus quasi quibusdam instrumentis utantur et tot tantaque etiam insontibus infligant mala, quibus graviter doleat natura humana. Haec enim mala sunt ejusmodi, ex quibus et ceteris et ipsis dolentibus multo majora bona nascantur.

Atque ad haec quidem capita revocari posse, quae sapiens et pius poëta de Diis et ipse credidit et aliis persuadere voluit, ipsae tragoediae cognitae docent.

Cognitu autem facillima est Ajax tragoedia. Est enim scripta tam plane et lucide, ut ne possis quidem, si velis vel maxime, dubitare, quid sentiat et cogitet poëta.

Enarrat autem et monstrat Sophocles hocce:

Luit Ajax bellator manu fortissimus immanis superbiae et dirae in Deos impietatis poenas acerbissimas at justissimas.

Nam quum in bellum Trojanum iret, monenti patri, „ne victor esse vellet nisi cum Deo:“ homo „amens“ (*ἄνους*) „superba et stolida“ haecce regerit verba: „Cum Diis vel pessimus quisque et ipse qui nullus est victor erit: at Ego etiam sine illis fore confido, ut hanc pariam mihi gloriam.“

Quid quod Deos sic contemsit, ut divam Minervam repudiaret in proelio adjutricem „horrenda et nefasta“ hacce cum voce: „Domina, ceteris adsta Argivis, nos ubi stamus nunquam erit, ut perrumpat acies hostilis.“

„Talibus vocibus gravem excitavit in se Deae iram, quod non secundum hominem sapiat.“

Hasce vero impietatis poenas luit. Cadit in proelio, Hectorem qui vicit, Achilles. Certant Argivi de armis Achilleis. Etsi Ajax secundum Achillem manu fortissimus est et una sua virtute cunctos Argivos servavit ab interitu, quem illis parabat Hector Trojanus (v. 1273 sqq. Wund.): in judicio tamen armorum Ulysse inferior habetur. Flectit enim animos judicum diva Minerva: id quod poëta tota

---

[2]) *τὸ θεῖον πᾶν ἐστι φθονερόν.* Herodot. I. 32. cf. III, 40. *ἐμοὶ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι, τὸ θεῖον ἐπισταμένῳ ὡς ἐστι φθονερόν.* Ante Herodotum auctorem historiarum idem dixit Simonides poëta. Aristot. metaph. p. 8. Optime vero philosophus: *ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί· οὐ πέφυκε φθονεῖν τὸ θεῖον· τὸ θεῖον οὐκ ἐνδέχεται εἶναι φθονερόν.* Praeivit autem Plato. Ait enim: *φθόνος γὰρ ἔξω χοροῦ θείου ἵσταται.* Phaedr p. 247. b. cf. Tim. p. 30. *Λέγωμεν δὴ δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος.*

[3]) *ἀλλὰ γὰρ ἐν ᾅδου δίκην δώσομεν ὧν ἂν ἐνθάδε ἀδικήσωμεν ἢ αὐτοὶ ἢ παῖδες παίδων.* Plat. de republ. II, p. 366, b. adde de legg. XI, p. 914. *πείθεσθαι δὲ χρὴ καὶ τοῖς περὶ ταῦτα λεγομένοις μύθοις, ὡς εἰς παίδων γενεὰν οὐ ξύμφορα τοιαῦτα.*

oeconomia fabulae satis significavit. Nam quum Ajax „injuriosos“[4]) judices ultum it, praesens adest Dea. Percellit ferocem bellatorem vesania avertitque furibundum ab hominibus in pecudes.

Qua ex insania ubi resipuit, non fert ignominiam „nepos Aeaci“ sed suo interit gladio, ultima cum voce Atridis cunctisque Argivis diras imprecans „Furias“.

Quae exsecratio hominum quum non sit deprecatio Deae, ne minima quidem dubitatio est, quo animo, mortem quum pararet, Ajax dixerit (v. 627 sqq.): „In posterum sciemus jam Diis cedere et discemus Atridas venerari.“ —. Aperte enim dicta sunt per ironiam. Non vult homo impius, quod cogitur, cedere Diis.

Ne vero haereas incredulus et sagaciter dubites, Atridae et ceteri virtutis bellicae judices an illi judicarint humanitus non divinitus atque Ajax an coeperit furere humanitus non divinitus: theophania poëta usus est. Ipsa adest Minerva et divino suo ore profitetur se et impii Ajacis acrem ultricem et pii Ulyssis praesentem servatricem. Graviter admonet Dea pium cultorem suum, ut per cladem „fortissimi et prudentissimi bellatoris“ monitus discat et memori teneat animo, „quanta sit potentia Deorum.“ Ulysses vero humaniter dolet Ajacem „inimicum“ et horrescit, quam nihil sit homo. „Video enim, quotquot vivimus, nos esse nihil nisi imagines inanesve umbras.“ At Dea:

„Dies aufert refertque cuncta humana; bonos vero Dii amant et oderunt malos.“

Atque hanc quidem in sententiam Sophocles poëta ante Platonem[5]) et Aristotelem philosophos interpretatus est Simonidis et Herodoti illud, quod diximus, *πολυθρύλλητον:*

τὸ θεῖον πᾶν ἐστι φθονερόν.[6]) Sed non licet huc deflectere.

Sic vero tota ex religione quum pendeat Ajax fabula, non debebant interpretes tantopere mirari, cur Sophocles, qui tam teres sit et rotundus poëta, et sciat Horatio melius, quid „simplex sit et unum“, non suicidio sed sepultura demum Ajacis tragoediam absolverit. Hoc enim voluit et debuit declarare poëta theologus, Deos non sic odisse ut homines. Hac mente, hac meditata ratione, longam istam de sepultura Ajacis inter Teucrum, mortui fratrem, atque Agamemnonem et Menelaum instituit altercationem. Cur enim poëta Atridas finxit non reges sed regulos, non homines sed homunculos? Cur cedunt illi non Teucro sed Ulyssi demum monenti: *„ὤνθρωπε, μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς“?* Patet vero in promptuque est. Ulysses enim quum Atridas monet, conculcare *(πατεῖν)* eos leges „divinas“, ille quidem pro ipsa Minerva Dea est. Nam quod non reprobat, probat Dea, quae monet Ulysses, et sua agnoscit. Quam si non dabis normam interpretandi, nullam omnino habebis et non levem sed ridiculum Sophoclem facies theologum.

Philocteta vero fabula Sophocles id persuadere vult, consilia divina humanis superiora et absolutum Deorum in homines imperium esse. Neque enim casu Philoctetes tam vehementer, tam incredibiliter pede aegrotat ex morsu serpentis; neque etiam crudelitate hominum sed voluntate

[4]) Iniquo et injurioso judicio Ajacem oppressum dicit Plato. Apolog. Socrat. in fine.

[5]) Plato quum vetat *πρὸς θεοὺς ἐρίζειν καὶ μεγαλαυχεῖσθαι καὶ οἴεσθαι εὐδαίμονα εἶναι*, jubet cum Sophocle *ἄνθρωπον κατ' ἄνθρωπον φρονεῖν.* De republ. III, p. 396 et II, p. 380.

[6]) Fuit Sophocles Herodoto amicissimus. Hinc non male suspiceris, dura illa verba in mitiorem et saniorem quam vulgo fit sententiam interpretanda esse; retulisse non finxisse, quae narret, Herodotum.

Deorum a Graecis solus relinquitur in Lemno insula et decem per annos perpetitur taetra illa, quae tam humaniter lamentatur, mala.

Ipse vero Philoctetes contrario ducitur errore neque etiam ab hominibus sed ab ipsis Diis saniora edocetur.

Decimo belli Trojani anno sciunt Graeci per Helenum vatem, opus esse armis Herculeis. Sic enim voluisse Deos, ut decem per annos oppugnata cadat alta Ilion armis Herculeis. Tenet autem illa arma Philoctetes.

Ad quem arcessendum mittitur idem ille vir, qui Graecis persuasit, ut aegrum et „clamosum" sagittarium desererent deserta in insula. At flagrat odio „crudeles" in Graecos et gaudet malis eorum durus Philoctetes.

A quo errore quum eum nec prompta facundia Ulyssis nec candida et pia anima Neoptolemi sanare possit: coelo adest Hercules, qui quum terram relinqueret, invicta sua arma dedit Philoctetae.

Quem ut tot tantisque exantlatis laboribus ex homine Deum factum videt, agnoscit Philoctetes errorem suum unaque in nave est cum illo viro, quem ante nuntium Deorum sic oderat, ut, si posset, „laniaret eum dentibus".

Id autem Sophocles fecit absurdissime, nisi hoc ipsum voluit intelligi: ad Deos non ad homines auctores retulisse cum Hercule Philoctetam, quae dira perpessus sit mala.

Quod quum non videret Hasselbachius,[7] grave illud commisit ὕστερον πρότερον, ut diceret, affici a Diis Philoctetam tantis malis propterea, quod tantopere queratur et lamentetur inflicta.

Quae quidem ratio tum ipsa per se perversissima est, tum etiam Hercules ne verbulo quidem tangit nimia lamenta Philoctetae dirasque et hominum et Deorum exsecrationes. Tam justos, tam mites Sophocles finxit Deos.

Philoctetae annectimus Trachinias. Hac enim in tragoedia Hercules ex igne adscendit in coelum.

At sunt, qui hoc carmen non Sophoclis patris sed Jophontis filii esse censeant. Quid vero mirum, si quando bonus etiam dormitavit „Homerus tragicus" solitoque scripsit incogitatius atque inelegantius? Ipsa autem, quae agitur res, illa quidem minime aliena est ab ingenio Sophoclis. Quod enim Hercules furit belluae quam homini similius et Hyllum filium jubet sua manu patrem imponere in rogum et vivi cremare corpus: Hercules antiquus non eadem moderno cum Hercule pensitandus est trutina. Herculis est non gignere nisi Herculem (v. 1190 et 1195 Wund.). At non hoc sed illud dicendum est: Herculem supremi Jovis filium esse et divinitati destinatum; id quod poëta quum ipsa fabula, quae quidem spectatoribus erat notissima, tum illis, quibus Hyllus v. 1260 utitur verbis, satis significavit. Ipse vero Hercules ne suspicatur quidem, futurum esse, ut fiat, quod factum ait Philocteta fabula, ut sit Deus immortalis. Ne multa: Philoctetae et Trachiniarum una eademque summa est sententia.

Sed haec nunc quidem hactenus. Neque enim licet per spatium, Electram et tres illas enarrare fabulas, quae etsi non quo scriptae et actae sunt tempore at ipsa tamen, quae agitur et a quibus agitur personis, re et fabula, justissimam et gravissimam conficiunt trilogiam tragicam, utrumque Oedipum dicimus atque Antigonam fabulas.

[7]) Ueber den Philoktetes des Sophokles. Stralsund 1818.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

MICH. JOS. KRUEGER, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit diebus Mercurii et Veneris hora III—IV et Saturni hora IX—X.

II. Ecclesiasten interpretabitur die Lunae hora IX—X.

III. Evangelium secundum Marcum synoptice exponet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora IX—X.

ANDR. MENZEL, Lic. P. P. E.

I. Doctrinam catholicam de creatione mundi et de angelorum hominumque lapsu proponet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X—XI.

II. Theologiae moralis partem primam (introductoriam et generalem) tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III et diebus Veneris et Saturni hora X—XI.

ANT. PASCHKE, Lic.

I. Historiam ecclesiae christianae a saeculo octavo usque ad saeculum decimum tertium persequetur diebus Lunae et Mercurii hora VIII—IX et die Martis horis VIII—IX et II—III.

II. Jus canonicum docebit diebus Jovis et Saturni hora VIII—IX et die Veneris horis VIII—IX et II—III.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Exercitationes geometricas moderabitur, praemissa introductione de studiis mathematicis recte ordinandis diebus Lunae et Jovis hora II—III.

II. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: Sniadecki's sphaerische Trigonometrie etc. übersetzt von L. Feldt tradet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.

III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

IV. De Climatologia, de globis igneis et stellis transvolantibus disseret, et usum instrumentorum meteorologicorum et praxin observandi ostendet d. Mercurii h. XI—XII et d. Jovis h. III—IV.

CAROLUS BIESTER, Dr. P. P. O. Des.

I. Euripidis Hecubam interpretabitur diebus Lunae et Jovis hora II—III.
II. Virgilii eclogas diebus Martis et Veneris hora II—III.
III. Taciti Germaniam, diebus Lunae, Martis et Jovis hora X—XI.
IV. Thucydidem de bello Peloponnesiaco diebus Mercurii et Veneris hora X—XI.

MAX. TRUETSCHEL, Dr. P. P. O. Des.

I. Metaphysicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora VIII—IX.
II. Psychologiam empiricam docebit quater per hebdomadem iisdem diebus hora vespertina V—VI.
III. Aristotelis de anima libros offert interpretandos bis per hebdomadem horis definiendis.
IV. Exercitationes examinatorias et repetitorias instituet semel per hebdomadem hora definienda.

FRANC. BECKMANN, Dr. P. P. E. Des.

I. Historiae recentioris capita selecta exponet ter per hebdomadem hora VI—VII.
II. Poesis christianae Latinae historiam tradet exemplisque illustrabit bis per hebdomadem horis definiendis.
III. Historiam Varmiae enarrare perget semel per hebdomadem hora VI—VII.
IV. Selecta poetarum Germanicorum antiquorum carmina interpretabitur bis per hebdomadem horis definiendis.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Quaestio proposita:

„Exponatur methodus, qua confessarii per prima quatuor saecula ecclesiae christianae usi „sunt in administrando poenitentiae sacramento"

duobus Commilitonibus ingenii exercendi ansa fuit, quorum alter ex Leone Magno:

Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro necessitate temporum aut pro consideratione aetatum oporteat temperari, etc.

alter ex Paciano:

Nunquam Deus non poenitenti comminaretur, nisi ignosceret poenitenti etc.

desumta tessera opus suum insignivit. Uterque ob maximam illam diligentiam, qua patrum testimonia undique congessit, plurimum laudandus est; neuter tamen quaestioni propositae ex integro satisfecit, quum in utroque ars ea desideretur, qua testimoniorum congeries apte disponenda quaestionique accommodanda erat. Unde Ordo Theologorum in Lyceo Hosiano neutri integrum praemium dandum esse censuit, sed scriptori operis tessera ex Leone Magno desumta insigniti,

Augustino Prill, Stud. Philosophiae,

qui ab ingenii acumine sermonisque latini elegantia magis commendatur, duas praemii partes, alteri

Dominico Korioth, Stud. Philosophiae,

tertiam partem adjudicavit.